



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Tuscana Vidva. 14. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

14. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 443
tabe repertum esse? Porro, dum vixit
Virginis unicè studiosus fuit. Itaque au-
ctorem eum Sodalitatum inter Laicos,
quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam
ideò libentiùs lucubrationes scripsit,
quòd is de *Virgine* plura suggereret. Pul-
sum quoque æris campani, quo exciti sub
noctem venerabundi ter *Mariam* saluta-
mus, BONAVENTURA instituit, rectè, cùm
humanas linguas laudibus *Virginis* suc-
cumbere videret, in auxilium vocans fer-
rea ora & ferreas linguas. Ex vitâ &
Thom. Bozio.

*Non sic timent hostes visibiles castrorum
aciem, sicut aëreæ potestates Mariæ voca-
bulum, patrocinium & exemplum: pe-
reunt sicut cera à facie ignis ubicumque in-
veniunt crebram hujus nominis recordatio-
nem, devotam invocationem, sollicitam
imitationem. S. Bon. in spec. B. V.*

S. TUSCANA VIDVA. 14. Iulii.

Aldite qui vestrâ jam expugnatâ,
alienam oppugnatam itis pudici-
tiam; pugna vestra aleam ex aliorum
fortunâ colligite. In TUSCANAM ocu-
los, sed castos conjicite: cui ad miracu-
lum formosæ nihil è toto muliebri mun-
do ita ut virginitas placuit. Ergo ad
nuptias nobiles imprimis adduci non
potuit; trahi, cogi debuit. Et jam li-
beraverat longiore metu mors conjugis
pavi-

444 VITÆ SANCTORUM. 14. Iulii.
pavidam, cum amor infestus aliâ ex parte bellum intulit. Tres, qui sub Venere merebant, juvenes, impetum in ædes castissimæ facere, & diripere pudorem constituunt. Addit animos visa TUSCANÆ forma, imò audaciam pudor proscriptus. Dum precibus illa pugnat, fenestra ordine proditores accipit. Sed ecce ut primum princeps è hostibus intrat thalamum, cadit humo afflictus à malo dæmone. Eadem secundi, eadem tertii fortuna. adsunt interea parentes, veniamque atque adeò vitam victis à victrice TUSCANA exorant. Nam hæc precibus suis lacrymisque omnibus vitam infundit. Ergo à morte tergemini adolescentes surgunt, narrantque cum lacrymis, quibus illic suppliciiis mulctetur Venus. Mox. animos expiant, & jam victuri moriuntur. At TUSCANA tot periculis pudorem exposurum videns, precibus & assiduis jejniis munivit, dum à præsentibus in morte Coelitibus ad stipendia illis verbis est evocata: *Veni Sponsa Christi TUSCANA, accipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in æternum.* Similem cupis Mariane? vincenti dabitur. *Ex Ferrar.*

Omni studio carce tibi à corpore mortuo in incendio cupiditatis. Objice menti tuæ ignem illum inextinguibilem, & vermem illum, qui non habet finem; & carnis inflammatio confestim extinguetur. S. Ephrem de Exercitatione.

S. J A-